

SCRIPTA

Numéro Scripta : 2209

Auteur(s) : Évreux (official)

Bénéficiaire(s) : Évreux, Saint-Taurin (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1295, 15 octobre

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Raoul des Granges, et Mathilde, fa femme, de la paroisse de Louviers, reconnaissent avoir vendu à l'abbé et aux religieux de Saint-Taurin, au prix de six livres et demi tournois, quinze sols tournois de rente qu'ils avaient sur une mesure à Louviers, dans la rue de Saint-Taurin.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Bonnin Théodose, *Cartulaire de Louviers*, Évreux, Hérissé, 1870-1873, 6 vol., t. 1, n° CCXCVIII, p. 341-342.

Texte établi d'après a

UNIVERSIS presentes litteras inspecturis, officialis curie Ebroicensis, salutem in Domino.

Noveritis quod in nostra presentia personaliter constitutus Radulfus de Granchiis, et Matildis, ejus uxor, de parrochia de Locoveris, recognoverunt et confessi sunt per communem assensum suum se vendidisse et concessisse et omnino dimississe viris religiosis abbati et conventui Sancti Taurini Ebroicensis quindecim solidos turonenses annui redditus quos ipsi habebant et percipiebant singulis annis annui redditus, videlicet in festo sancti Remigii tres solidos, in festo Natalis Domini tres solidos, ad Pascha sex solidos, et ad Nativitatem beati Johannis Baptiste tres solidos, super masuram quamdam sitam in vico Sancti Taurini apud Locumveris, sitam inter domum Benardi Monnerii, ex una parte, et domum Hugonis de Cicognia, ex altera, pro sex libris et dimidia Turonensium de quibus ipsi Radulfus et ejus uxor coram nobis se tenuerunt plenarie pro pagatis a dictis religiosis vel eorum mandato.

Habendum et percipiendum singulis annis annui redditus, nomine quo, supradictis religiosis et eorum successoribus libere, pacifice et quiete, absque contradictione et revocatione dictorum Radulfi et ejus uxoris et heredum suorum. Juraverunt etiam predicti Radulfus et ejus uxor, tactis sacrosanctis Evangeliiis quod contra hujusmodi venditionem predicti redditus per se vel per alium non venient in futurum, immo predictum redditum eisdem religiosis et eorum successoribus de se et de suis heredibus liberabunt et garantizabunt penitus et deffendent contra omnes et in omnibus vel alibi in propria hereditate sua, valore ad valorem, excambiabunt, si necesse fuerit, salvo tamen jure et redditu capitalium dominorum.

Juravit etiam predicta Matildis ad sacrosancta Dei Evangelia quod ratione dotis, dotalitii, donationis propter nupcias non veniet in futurum, et renunciavit consuetudini Normannie per quam mulieres post decessum maritorum suorum solent repetere dotes suas, seu maritagia sua vendita, vel alio modo obligata. Pro quibus omnibus et singulis premissis ipsi Radulfus et ejus uxor obligaverunt predictis religiosis se, suos heredes et omnia bona sua mobilia et immobilia presentia et futura, renunciantes in hoc facto privilegio crucis sumpte vel assumende, omni juris auxilio canonici et civilis, omni speciei usure, jurisdictioni curie Ebroicensis se et sua quantum ad hoc supponentes.

In cujus rei testimonium, sigillum curie Ebroicensis, unam cum sigillis dictorum, presentibus litteris duximus apponendum.

Datum anno Domini M° ducentesimo nonagesimo quinto, die sabbati post festum sancti Dyonisii.